

RECTOR  
ACADEMIÆ LIPSIENSIS

ad

exequias

FOEMINÆ

*Profapiae splendore, virtutum decore, morum  
elegantia commendatissima*

ANNÆ MARIÆ THOMASIÆ,

natae TEURINGIÆ,

Cives Academicos

*post 1. pomer.*

*invitat.*

ioigr. erud.  
1682, 20

*Vitt. Eur. Ling. - Vol. Th. Thom.*

1791  
Königliche Bibliothek  
Dresden

Handwritten text, possibly a title or author name, mostly illegible due to fading.

1791



Eptimana, quam ingressi sumus, à Patri-  
bus magna & pœnosa dicitur, quòd in  
ista res magnæ, passio scilicet acerbissima  
Salvatoris nostri, quâ pœnas peccatis to-  
tius humani generis debitas exantlavit,  
tractentur. Quale iudicium de rebus  
hisce ferat mundus, Apostolus ad Corin-

1. Cor. 1.

thios conversos scribens his verbis expressit: Nos præ-  
dicamus Christum crucifixum Judæis offendiculum,  
Græcis stultitiam. Ubi per Græcos locutione synec-  
dochica, quòd cum tertia Monarchia lingua Græca per  
magnam τῆς οὐρανόθεν partem fimbrias suas dilataverat, &  
reliquos gentiles intelligit. Ut enim Scriptoribus Græ-  
cis omnes, quotquot hujus universi ambitu continen-  
tur, homines in Græcos & Barbaros; sic Apostolis &  
Evangelistis (ut cum Cananæa vocatur Græca) in Ju-  
dæos & Græcos dividuntur. Jam, si Judæos audiamus,  
illis Salvator noster meritissimus Tolah i. e. propter ma-  
lefacta sua suspensus, & ut cabalisticè nomen τω ab ipsis  
scribitur, vanitas & stultitia; Gentibus, ut Luciano σο-  
φιστῆς ἀνεσκολοπισμένω, i. e. deceptor palo affixus audit.  
Turcæ, licet Judæis paulo meliores videri velint, & JE-  
SUM nostrum Prophetam miraculis ingentibus cele-  
breni agnoscant, ex persona tamen & officio ipsius nu-  
cleum, ex ista deitatem, ex hoc redemptionis opus, suffu-  
rantur. Cum enim cruci affigendus esset, ipsum sub-  
ductum, & vel Judam proditorem, vel Simonem Cy-  
renensem, vel alium quempiam substitutum fingunt.

)( 2

Unde

Unde post expugnationem Budæ (nonnulli forsan pro-  
pter facti similitudinem Constantinopoli factum fuisse  
volunt) felem cruci affixam circumgestarunt, & tan-  
quam Christianorum DEUM ostentui habuerunt. Sed  
utinam extra pomeria duntaxat Ecclesiæ judicia tam  
perversa locum invenirent, nec ab iis, qui Christiano-  
rum titulo salutari volunt, audirentur! Non procul certè  
à Turcis Sociniani & deitatem & satisfactionem Christi  
negantes (si nomine Christianorum digni sunt) & ita  
fundamenta salutis evertentes absunt. Quam ob cau-  
sam, quòd doctrinâ nostrâ Turcarum conversionem im-  
pediamus, objiciunt, ipsi potius fomitem tantis porten-  
tiloquiis & divortiis à Christiana religione occasionem  
suppeditantes. Id verò, quòd in Ecclesia sic dicta Ca-  
tholica versantes, & qui Reformatorum titulum κατ' ἐξο-  
χὴν sibi tribuunt (ac si nos duntaxat semiplenè reformati  
essemus AntiChristi tesseram in multis adhuc gestantes)  
tam tenuiter de passionis hujus merito sentiant, miran-  
dum. Ut enim illi CHRISTUM secundum humanam  
tantùm naturam Mediatorem facientes ipsi peccata no-  
stra imputata, & pœnas peccatis nostris debitas, etiam i-  
ram DEI & cruciatus infernales, sustinendas fuisse ne-  
gant: Sic hi realem κοινωνίαν τῶν ἰδιωμάτων impugnantes  
particularissimum ex intentione DEI Redemptorem ex  
ipso faciunt. Aliud judicium hîc formandum esse, cita-  
to loco nos docet Apostolus, cùm inquit: Nos Judæis  
& gentibus conversis CHRISTUM DEI potentiam &  
sapientiam prædicam⁹. Præterquam enim, quòd CHRIS-  
TUS DEI potentia & sapientia sit intra finem Deitatis  
spectatus, in redemptionis opere utraqve luce meridianâ  
clarius conspicienda venit. Cùm enim citra satisfactio-  
nem

nem justitia DEI Protoplastorum lapsu offensa peccatum remittere nequeat, DEUS tamen hominem à Diabolo seductum saluum esse voluerit, pro summa sua sapientia & potentia justitiam misericordiâ temperans talem Redemptorem, qui non esset nudus homo, sed Θεάνθρωπος, & consequenter ἰσὸρροπον λύτρον persolvere posset, misit, cui peccata totius humani generis imputarentur, qui pœnas peccatis nostris debitas tam in corpore, quàm anima sua sanctissima sustineret, & inter utramque partem medius cœlum cum terra connecteret. Tale judicium non theoreticum saltem, sed & practicum de CHRISTO crucifixo Salvatore suo formavit, cujus etiam ad extremum usque halitum tenax permansit Fœmina profapiæ splendore, virtutum decore, morum elegantia commendatissima ANNA MARIA, Viri Consultissimi & multo rerum usu Præstantissimi Dn. MICHAELIS THOMÆ, Causarum in hoc loco Patroni & Practici famigeratissimi quondam jugalis, quæ tempore præsentis meditationi passionis Dominicæ destinato diem suum obiit, fidei finem, animæ salutem, quorsum utroque pede contendebat, adepta. Huic Fœminarum optimæ, non tantum quod ipsa merebatur, sed & utriusque familiæ laudatissimæ intuitu supremum humanitatis officium persoluturi vitæ pensum decenter absolutum quoad antenus evolvemus, & gratæ recordationis ergò propiùs spectandum exhibebimus. Ingressum τῆς ἐν εὐφρασίᾳ nostræ in hanc vitam quod attinet, lucis hujus usurâ frui cœpit hic Lipsiæ anno currentis seculi 22. die 10. Cal Junii Parentibus honoratissimis, & Patre quidem Viro Consultissimo & Præclarissimo Dn. SAMUELE TEURINGIO, in Schelkha &c. J. U. Cand.

& Practico hujus loci nominatissimo: Avo paterno,  
Viro prudentissimo Dn. SALOMONE TEURIN-  
GIO, Confule Blanckenburgensi: Matre Fœminarum  
lectissimarum speculo ANNA MARIA, Viri plur. Re-  
verendi, Magnifici, Amplissimi & Consultissimi Dn.  
LEOPOLDI HAKELMANNI, magni nominis Jure  
Consulti, Decretalium Professoris P. Juridicæ Facultatis  
Ordinarii, Dicasterii provincialis Assessoris & Canoni-  
ci Martisburgensis splendidissimi filia. Per primam gra-  
tiæ portam CHRISTO & Ecclesiæ inserta statim ἐξ οὐ-  
χων ἀπαλῶν ad pietatis & virtutum virginalium exercitia  
fuit assvefacta. Vix duodecennis per obitum patris in  
in Salinis Saxonis anno 34. factum, cum impresiones  
hostiles fugiens eò se contulerat, in orphanorum statum  
miserum fuit redacta. Ex quo tota educationis residuæ  
cura in humeros maternos fuit devoluta cum hoc tamen  
successu felici, ut ἡ μακαρίτης virtutibus proficiam & se-  
xum decentibus ad invidiam exornata omnium oculos  
& animos in se converterit. Commotus inde quoque  
prædictus cum honoris præfatione Dn. MICHAEL  
THOMÆ vitæ, curarum & utriusque sortis sociam,  
præmissis præmittendis, ardentibus precibus & Paren-  
tum utriusque partis consensu, eandem expetiit, & per  
solennitates Ecclesiasticas anno 46. ineunte mense Sept.  
sibi junctam haut difficulter obtinuit. Quod ipsum ma-  
trimonium solatio & auxilio haut exiguo Matri τῆς ἐν ἀ-  
γίοις nostræ cessit, cum laudatus jam Dn. MICHAEL  
THOMÆ post Avix suæ maternæ, Viri Amplissimi &  
Consultiss. Dn. D. JACOBI SCULTETI, Jcti magni  
& longè celeberrimi relictæ Viduæ beatam analysin an-  
no 47. circa initium mensis Febr. factam, proprium do-  
mici-

micilium regere coepit, & Socrum *σύνοικον καὶ σύσσιτον* us-  
que ad beatum ipsius discessum, quem vidit annus hujus  
seculi 51, vergens mensis Junius, liberaliter sustentavit.  
Amore Conjugali minus fucato erga Dn. Maritum fi-  
dam *σύζυγον* nunquam non sese praestitit, curas ipsi do-  
mesticas levavit, fortunarum septum omne detrimen-  
tum averruncavit, & talem, ut veluti fulcro Mariti ani-  
mus ipsa niti potuerit, sese praebuit. Quantumvis au-  
tem unico tantum partu gemellarum Dn. Maritum anno  
47. mense Majo Parentem fecerit, unica etiam ex istis &  
quidem natu major ANNA post quadrimestre spacium  
mortalitatem suam expleverit, natu tamen minor AN-  
NA SUSANNA in spem & decus familiarum succe-  
scens, cujus educationi plenariae DEUS ex alto benedi-  
cat, Matri desideratissimae superstes adhuc inter vivos a-  
git. Vitam reliquam quod concernit, Christiana esse,  
quam videri, suique nominis memor ad CHRISTI pe-  
des cum Maria sedere, quam ludicris mundi vacare ma-  
luit: delicias proinde omnes in lectione, meditatione &  
auscultatione verbi divini quaesivit, fidem titubantem  
crebro mysteriorum usu roboravit, & ut vivam osten-  
deret, in fructus, non folia duntaxat, eandem effloresce-  
re sivit. Testes ipsius honestatem, animum sedatum, pa-  
cis studium, inserviendi tam necessariis, quam proximo  
promptitudinem, consulendi dexteritatem, juvandi lu-  
bentiam, & quae fuerunt aliae virtutes, quarum jactura  
sui desiderium relinquit, hic vocare possemus. Sed DEO  
ter Opt. Max. futuris tempestatibus nos undique cin-  
gentibus eandem maturius subtrahere placuit. Nam  
quod vitae catastrophem concernit, appetente mense  
Martio febre jam circum repente quidem corrupta, sed  
tamen,

tamen, ut precibus publicis post præterlapsam mensuram  
diminuti spacium iterum interesse posset, sibi restituta  
fuit. Duodecimo Cal. Apr. morbus insultus priores &  
majore quidem veementiâ repetit, quos subitanea vi-  
rium prostratio & dolor in lateribus è vestigio secutus  
fuit, & licet à Dn. Medicis nihil intermitteretur eorum,  
quibus amissa sanitas recuperari posset, tantum tamen  
abfuit, ut calor continuus & noctes insomnes virium re-  
parationem admiserint, ut prorsus fregerint, & spem o-  
mnem de reconvalescentia decollare fecerint. Concla-  
matum itaque maturus sentiens, se totam divinæ vo-  
luntati resignavit, & post editam peccatorum suorum  
confessionem viatico sacro instructa precibus pro beato  
ex corporis ergastulo egressu apud DEUM ardentissimis  
instetit. Quamquam etiam usus intellectus interdum va-  
cillare coepit, assistentia tamen Spiritus S. luculenter  
conspicua fuit, cum jam in preces, jam cantilenas pias e-  
rumperet, & adstantes, ut concinerent, adhortaretur.  
Die poenitentiali ad beatam analytin vergentibus omni-  
bus, Dn. Marito, filiaë unicæ & præsentibus valedixit,  
& velut in dulcem declinans lumina somnum, annos  
quadraginta & unum, menses decem cum octiduo in hac scena  
mundana conspicua, in manus Salvatoris animam circa septimam  
vesperinam exspiravit. Jam, quod quæsit, videt: quod concu-  
pivit, tenet, nullis hostium insidiis intervertendum. Nos de lue-  
ratis malis omnibus ipsi Beatissimæ gratulantes exuvias nobis re-  
lictas, Sp. S. templum, dormitorio suo spe lætæ resurrectionis post-  
euditam I. pomer. inferemus. Nostros autem, ut mœstissimo Dn.  
Viduo & honoratissimæ familia *συνπράξαι* suam declarent, Ma-  
joribus etiam piè defunctæ hunc honorem habeant & frequentes  
Nobiscum in funus procedant, his ipsis jubemus. P. P. Pr.

Non. Apr. Anno MDCLXIV.

*Licoris Ritzschianis.*